

065

063

069

059

074

054

114

014

164

564

Ende

Anfang

54

quod viderant nuntiantes. Hoc audientes cives armati exiverunt, et ultra CCC specum ingressi sunt et stupidi viderunt sicut primi; tandem proximiores facti, postquam non vivum esse hominem norunt, viderunt sedentem quendam in sede, et sinistram manum innixam baculo tantae altitudinis et crassitiei, ut excederet quemcumque praegrandis navigii malum, sic et hominem invisae atque inauditae amplitudinis, nulla ex parte corrosum aut diminutum. Et cum ex eis unus porrecta manu tetigisset stantem malum, e vestigio malus solutus in cinerem corruit, remansitque veste nudatus baculus alter plumbeus ad manum usque tenentis ascendens, et ut satis adverterunt, plumbum erat ad augendam gravitatem malo infusum, quod postea ponderantes asserunt fuisse ponderis XV centariorum Trepanensium, quorum unus quisque ponderis est librarium communium centum. Demum hominis statua tacta aequa corruit in pulverem, demitis tribus dentibus, qui erant monstrosae magnitudinis, hodie suspensi catena ante ecclesiam beatae Virginis; ibi a cunctis cernuntur. Suspicatum est a prudenteribus, eum fuisse magnitudinis CC cubitorum vel amplius. Quidam putarunt, eum fuisse Erycem, loci potentissimum regem, Butis et Veneris filium, ab Hercule occisum et in eodem monte conditum. Quidam autem arbitrantur Erichellum, qui olim in funeralibus Iudis, ab Aenea pro Anchise patre editis, pugno taurum occiderat. Alii vero unum ex Cycloibus potentissimis dicunt fuisse.

Et forte si thesauri (D) fuissent cum eo reconditi, aditus daemone operante inventus non fuisset, sicut est de specu, de quo est sermo, in quo gigantes et thesauri sunt reconditi; non enim nisi prodigiosa habent sepulchra, sicut patet in chronica Martini, ubi recitatur, quod tempore Heinrici II. corpus Pallantis gigantis fuit Romae in specu inventum incorruptum, cuius vulneris hiatus, ubi fuerat vulneratus, quatuor pedes et semis habebat, corpus altitudinem muri vincebat, lucernaque ardens ad ejus caput inventa est, quae nec flatu extingui poterat nec liquore, sed cum stilo foramine subtus flamمام facto extincta est, per illud foramen aere introducto. Hunc Turnus dicitur occidisse, et hoc ipsius epitaphium erat:

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni  
Militis occidit, more suo jacet hic.

